



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Vincentius C. 5. Aprilis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

222 VITÆ SANCTORUM. 5. April.
rum carceribus clausi, idem uterque in
sommis somnium viderunt. Naufragium
sibi facere videbantur, sed auspiciatum il-
lud, & nimium fortunatum: quod ca-
teris quidem, quorum longè plurimi
erant, fluctu haustis, ipsi nescio in quem
montem cælo contiguum evasissent, can-
didus ibi vestibus ornati. Somnium hoc
dies explicit. In mare cum saxis ap-
pendisibus abjecti ipsissimum Olympum
subjerunt. THEODULUS deinde
multâ luce candidus, inde ad suos re-
visit, quod testamentum facere esset
oblitus. Dixit ergo heredes omnium
pauperes, & te quoque inter hujus te-
stamenti executores hodie cupit habere.
Ex Metaphr. apud Surium.

Navicula Christi nunc tollitur ad cælum,
nunc in trepidationum ima descendit: nunc
Christi regitur viribus, nunc formidine ja-
ctatur: nunc operitur fluctibus passionum,
nunc confessionum remigiis enat. Sed
nos iterum atque iterum clamemus Do-
mine salva nos; Perimus. S. Chrysol.
ferm. 20.

S. VINCENTIUS C. 5. Aprilis.

S Anctus VINCENTIUS antiquâ
Ferreriorum familiâ in Hispaniâ na-
tus, primis statim annis documenta edi-
dit Magisterii pietatis, quod vir exercuit,
jam puer intet pueros Magnos Orator.

Ea

S. April. VITÆ SANCTORUM. 223
Ea initia egregiâ indole ac literarum
eximio profectu fecit auctiora, omnem
libertatem pertulit, quæ levitatem ole-
ret. Ingressus S. Dominici familiam, &
Christi aspectu, morbo levatus, ejus im-
perio populos ad pœnitentiam evocare
instituit, tam strenue quidem, ut satis con-
stet Judæorum viginti quinque millia,
totidem ferè Saracenorum, Christo ejus
operâ conciliatâ; Christianorum centum
viginti millia eidein reconciliata: publi-
cis flagitiis infamium quadraginta millia
ad innocentiam reducta. Ardorem di-
centis inde intelligas, quod capitalia au-
tos cum ad furcam comitaretur, oratio-
ne primum effervesce, mox colliques-
cere, denique in cinerem exarescere coë-
gerit felicissimo supplicio amoris extin-
tos. Tor spoliis Orco abactis triumphan-
tem mirum non est, si Styx odit, & spo-
liare castitatis gemmâ contendit, quan-
tumvis irrito conatu, quod in Magnæ
Matris tutelâ esset, quæ suo pugili adstî-
tit, & victorem rude donavit, in nos quo-
que exemplum repetitura, si cum *Vincen-*
tio vincere vellemus. Acta olim furiis ma-
ter, ac proli suæ iniqua infantem in mul-
tas partes fecuerat: has collectas vir san-
ctus integritati vitæque restituit, post dæ-
monem etiam de morte triumphans,
quæ proinde obstruere viam huic sideri
non potuit, quo minus ad cælum anno
M. DC. XVIII. ferretur. Ex Sur.

Ad

224 VITÆ SANCTORUM. 5. April.

Ad evitandas diabolice pugna molestias valenter assurgemus, si necessitatibus ultimæ periculum provide pertractemus: nam si repentinus ille atque terribilis adventus Christi perpenditur, quid erit in mundo, ubi mens humana delectetur?
S. P. Dam. l. 1. ep. 19.

S. IRENE V. M. 5. Aprilis.

IRENE S. Anastasiæ famulabatur, conditione, non item virtutibus Heræ impar. Unâ cum duabus sororibus ad tribunal rapta est immitis Dulcitii, quodque magis timendum fuit, etiam lascivi profuit innocentibus, quod amor in furorem abiit, qui Dulcitium ad dissuviandas ollas impulit, quarum fuligine deformatus cæcus amator, bacchatusque per urbem populo ludos præbuit. Sed neque cum denudari virgines mandasset, vestes corporibus eripi ullâ vi potuere; Pugnante pro iis, & togas retinente mordicus pudore. Fornace deinde (Babyloniam dixisses) conclusæ IRENES sorores, inter flamarum blanditias verius quam tormenta, mortem somnisimilem, illæsis corporibus, oppetierunt. IRENE verò ardentiores etiam ignes evasit; in lupanar quippe Veneris fornacem per vim intrusa, ab Angelis sub militari habitu latentibus, illibata virginitate, inde educta est, & in montem ablata;